

versu vltimo 32. Hæ sunt familia, &c. de antiquissima populorum & nationum in terris distinctione atque origine: de qua quicquid memoria prodiderunt profani authores, vel multo est recentius hac Mosis historia vel fabulosum, cuiusmodi sunt quæ Critias Platonis de Atheniensium, Melanthe de Ægyptiorum: Iustinus de Scytharum antiquitate fabulantur. 4. Est testimonium Ecclesiæ propagatæ à Noach in familia Sem vsque ad Abraham & deinceps, docens eam perpetuo quidem seruatam esse, sed fuisse minorem generis humani partem, hoc est, pusillum gregem. Luc. 12. 5. Pertinet quoque cap. 11. in familia Heber (qui fuit pronepos Sem) catalogus maiorum & linea Christi secundum carnem. 6. Deniq; capitis huius vsus est necessarius ad intelligenda scripta Prophetica. Passim enim in lectione Prophetarum occurrunt nomina gentium & populorum, quorum origines ex hoc catalogo petendæ sunt.

Non immorabor vero in inuestigandis populorum deriuationibus. Quædam sunt certæ & in historia sacra proditæ: has indicabo: de aliis sunt coniecturæ verisimiles, aliæ sunt incertæ, de quibus alii aliud diuinant. De meo nihil habeo, quod huc asseram, quia hic sunt tenebræ. Nec agitur negotium fidei. Historias veteres desideramus. Aliorum coniecturæ legantur: Berosus lib. 2. Iosephus lib. 1. Antiq. cap. 11. August. de Ciuit. Dei lib. 16. cap. 5. Hieron. de Hebræis quæstionib. in Genesin. Eucherius in Gen. lib. 2. cap. 5. Ex recentioribus Lutherus in Gen. Tremellius in Bibliis, Arias Montanus in lib. Phaleg. de populorum primis originibus, & sedibus populorum in tertia parte apparatus Bibliorum Regionum, & denique Pererius in Gen. lib. 15.

POSTERITAS IAPHETHI.

1. Iste vero sunt generationes filiorum Noach, Sem, Cham, & Iapheth: nati enim sunt eis filii post diluuium.
2. Filii Iapheth Gomer, & Magog, & Madai, & Iauan, & Thubal, & Meschec & Thiras.
3. Filii autem Gomer Ascenas, & Riphath, & Thogarma.
4. Filii vero Iauan Elisa, & Tharsis, Kittim, & Dodanim.
5. Ab his separatæ sunt insule Gentium per terras suas, vnaqueque iuxta linguam suam, iuxta familias suas in gentes suas.

EXPLANATIO.

1. **I**STÆ VERO SVNT GENERATIONES. Quinto repetuntur nomina filiorum Noach necessaria de causa, quia singulorum genealogia recitabitur. Ergo non iam simpliciter vt filii Noach, sed vt tres parentes populorum proponuntur, quorum principes & authores filii eorum post diluuium hucusque extiterunt.

2. **FILII IAPHETH GOMER.** Hactenus Sem primum tenuit ordinem, nō ætatis sed dignitatis iure. Nunc postponitur fratribus, & eodē modo repetuntur 1. Par. 1. hæ genealogiæ, nō quod sic aliquid de eius prerogatiua diminuat, sed coherentiæ causa cum sequentibus. Deinceps enim missis aliis

A duob. eius foliis genealogia & historia pertinetur. Fuit alioqui Sem secundo genitus, quia Cham minor cap. 9. 24. Iapheth maior natus cap. 10. 21. vt supra ostendi. Nunc igitur à Iapheth familia Moses incipit: ac primum septem eius filios numerat: (Augustinus lib. 16. cap. 3. de C. D. Græcos quosdam codices secutus numerat octo: Octauum nominant Elisam. At Elisa non filius, sed nepos fuit Iapheth ex Iauan.) Deinde nepotes tres ex filio Gomer, & quatuor ex filio Iauā. Sic omnes Iapheth filii & nepotes sunt xiv. Non est credibile, ex aliis quinque filiis, Iapheth nullos vidisse nepotes. Sed satis fuit Spiritui sancto, horum meminisse, qui principes infi-